

Guillemeau, Cr. Charles. Cani Mivro, sive Curti Fustis, hoc est Caroli Guillemei... responsio pro se ipso ad alteram alogiam... Curti, Monspel. canis cellarii

Paris : s.n., 1654.

Cote : 90957 t. 31 n. 23

23.

CANI MIVRO,
SIVE
CVRTO
FVSTIS;
HOC EST,


CAROLI
GVILLEMEI,
DOCTORIS PARIS. ORDIN. REGIS MED.
RESPONSIOPRO SE IPSO


*AD ALTERAM A LOGIAM
impudentissimi & importunissimi
CVRTI, MOMPHEL. CANIS CELLARII.*



LVTETIÆ PARISIORVM.

M DC LIV.







EXTRAIT DV LIVRE INTITVLE

SECONDE APOLOGIE,
de l'Vniversité en Medecine de Mont-pellier,
&c. Envoyée à Monsieur Riolan, Professeur
Anatomique, &c.

QUE s'il est question d'artifices pour parvenir à vne telle Charge, vous sçavés comme Monsieur Bouvart y entra. En voici tout le tissu. M. Charles Guillemeau, qui avoit l'accés près du Roy, l'introduisit pour luy servir de planche à ladite Charge; ce rusé & faux rousseau abusant de la candeur & ingenuité de Monsieur Bouvart. Monsieur Heroard, grand Medecin, grand Politique (venerable pour sa preud'homme, pour son âge, & pour le service par luy rendu à quatre de nos Rois successivement) possedoit la Charge de Premier Medecin, avec l'amour & la bonne grace de son Prince. Il avoit contracté vne amitié fort étroite avec Maistre Jacques Guillemeau le Pere, Chirurgien du Roy, lequel luy donna son fils Charles Guillemeau, aussi Chirurgien. Il l'aime comme fils de son ami, & comme le sien propre; le fait connoistre, & le met en la bonne estime du Roy, qui le reçoit sur le témoignage de Monsieur Heroard. Ce Guillemeau se comporta quelque temps en apparence d'honneste homme; Enfin, saisi de vanité & de bonne opinion de soy, il desseigne de pousser avant sa bonne fortune: comme que ce fût, ayant quitté le rasoir & la lancette, il se fait Docteur de vostre Faculté, & muguere la Charge de Premier Medecin. Mais Monsieur Heroard son Createur & Bien-facteur, l'en empesche. Ce garnement se refout de fermer les yeux pour ne le point considerer, & commence à semer de faux bruits contre l'honneur dudit sieur Heroard, disant, qu'il estoit vieux, que son jugement n'estoit point de mesme que par le passé, qu'il ne connoissoit pas bien le naturel du Roy (lequel ce-pendant il avoit heureusement conduit dès sa naissance.)

Pour donc parvenir plus aisément & plustost, à vne telle Charge, il dresse de loin sa batterie, de peur d'estre connu tel qu'il estoit, se reconnoissant trop jeune, & d'âge, de prudence,

& d'experience. Il retire Monsieur Bouvart du service du public, pour le faire connoistre à la Cour, & luy faire naistre quelque desir de cette Premiere Charge, avec ce dessein de l'en debusquer incontinent qu'il y seroit érably; Et ainsi mon galant, ce monstre ingrat, ce perfide rousseau, je dis Charles Guillemeau, leve le talon contre son second Pere, duquel il devoit écouter les paroles, comme des Oracles, & les suivre, comme des regles de bien vivre. Le Doyen a touché en passant, dans son Apologie, la noire ingratitude de ce dénaturé parricide; mais en termes pleins d'honesteté, ayant caché le nom de Guillemeau sous le nom de Rousseau; lors qu'il dit, comme ce venerable vieillard, & le sage Caton de la Cour, estant vn matin attendant qu'il fût jour, en l'vne des fenestres qui regardent dans la basse-court du Louvre, voyant venir le dit Guillemeau, dit à quelqu'vn qui estoit près de luy, *Voilà le seul ingrat & perfide, que j'ay trouvé!* Mais cét orgueilleux se trouve bien reculé, pource que jamais personne ne se prit contre le dit sieur Heroard, qui ne s'en soit nial trouvé; mais entre plusieurs, cét ingrat, qui estant le dernier, comme la lie de tous, & le plus detestable. Les amis dudit sieur Heroard luy conseilloyent de luy faire manger la poussiere, pour servir d'exemple; mais la memoire du Pere, & la qualité de Chrestien, firent qu'il remit tout cela à Dieu, se contentant du pouvoir qu'il avoit, de le rendre miserable. Ce que j'ay voulu représenter ici, afin que ses Confreres fissent consideration du personnage, selon ses bonnes & remarquables actions, & eussent souvenance du dire dudit sieur Heroard, *Que l'ingratitude est un symptome de ladrerie.* Apres le decés d'iceluy sieur Heroard (qui mourut paisible dans son lit en sa Charge, visité en sa maladie par sa Majesté, & regretté apres sa mort par sadite Majesté, en ces paroles; *J'avois encore bien besoin de luy*), Monsieur Bouvart occupa la place; mais de telle sorte, que le scelerat Rousseau trouve plus de resistance, qu'il ne s'attendoit point de ce bon & franc naturel. Voila donc comme il fut pourvû de ladite Charge par les menées dudit Guillemeau, lequel voulant voir jusques-où la fortune le poufferoit *per fas & nefas*, fut repoussé aussi vivement, comme il la recherchoit ardemment. Et ainsi ces deux grands hommes Monsieur Heroard, & Monsieur Bouvart, *Corvum suum rufum deluserunt hiantem.*

Flagel-



Flagellum equo, & canis asino, & virga in
tergo Insipientium. Proverb. 26.

Ad Eruditum Lectorem.

INFANDA hæc maledicta, vel rebus neces-
sariis revincenda, vel, quod veri bonique na-
tura abhorret, agnoscenda erant, Latinè au-
tem retundenda, ut hominibus Doctis indoctissimi
post homines natos duo, Avunculus & Nepos, eno-
tescerent. Ad vernilem autem, Curte, fatuita-
tem, ad perpetuam sribiliginem tuam, ad mere-
triciam linguam, & ora spurcis fœta contumeliis,
non deerit fortasse qui vernaculè quoque respon-
deat, ut hinc & inde vapulans, Canis, quam
odiosissimè latrando, mentiendoque voluptatem
cepisti, eam veriora veris audiendo amittas.

A



CANI MIVRO, SIVE, CVRTO
FVSTIS;
HOC EST,
CAR. GVILLEMEI
DOCT. PARIS. ORDINAR. REGIS MED.
RESPONSIO PRO SE IPSO,
AD ALTERAM ALOGIAM
impudentissimi & importunissimi
CVRTI, MOMP. CANIS CELLARII.



*VID immerentes hospites vexas, Canis,
Et fuste queris obterere?*

Nam quæ te mala rabies in me impulit,
à quo necre, nec verbo, læsus, imò & pro-
clivi misericordiâ, quoad indignitas tua passa
est, sustentatus; in me, inquam, cujus si offi-
ciosissimam humanitatem ingratiſſima obli-
vione contriveras, at faciem certe, vultumque reminisci de-
buiſti: sic ferus, efferatusque irruis, vt, ne dicam extrema cute,
intus certe, quod vel inimici fateantur, candido, rufum, quo
me vitio melior Natura prohibuit, affingas, vt omnes intelli-
gerent, quam in affricando mihi alieno colore stolidum te ac
stultum præbuiſſes, tam in ingrati vitio per scelestam calum-
niam imponendo, vecordem te, impudentemque ostentare.
Tam enim profecto rufus non sum, quam ingratus non sum;

& quam me imprudenter rufum commentus es, tam impudenter es ingratum mentitus. Et qui me norunt, norunt autem boni plerique omnes, in bonis, illustres, proceres, ac principes, vè à rufo, & si quid rufo subest, sic ab ingrato longe alienissimum sciunt. Rufum me nemo, ne lippus quidem aut arquatus, putavit, ingratum nemo vnquam expertus est, ingratos ego nimis multos, in queis illum vel maxime, in quem ingratum fuisse me improbe calumniaris: quod iam non tam verbis, quam rebus convincam necessariis. Idque vt invitus, & petulantia tua coactus, faciam, ita veniam, vt spero, vel ab iniquis merebor, ab æquis, vt confido, impetrabo, vt pro me dicam ea, quæ etsi pudor meus nonnihil refugit, at conscientia inducit, summorum testium autoritas adhortatur, famæ autem & existimationis, quæ mihi antiquissima semper fuit, cura & custodia incitat. Liceat enim mihi cum summo illo, vt sentiendi, dicendique, sic vivendi, magistro, iure vsurpare. Ego, cum me omnibus virtutibus affectum esse cupiam, tum nihil est, quod malim, quod in vita maluerim, quam me & gratum esse, & videri. Quod ego, vt perpetuo tenore propositi præstare malui, sic in oratione mea nunquam ponam, nisi in eam me necessitatem coniectum videam; vt, si gloriolæ appetentior essem, optanda mihi quodammodo fuerit iniuria tua, excusatissime dicturo quæ nunquam proferrem, nisi huic verecundiæ, contumeliosa tua proluvies vim eam intulisset. Nec vero eò sum descensurus, vt à te vetere ac detrito deterrimoque asino perfusus, aut calce appetitus, coeno tecum aut calcibus certem; aut te spurcam & immundam suam in volutabrum persequar; aut cum canis odio latrem, aut propudiosæ Baucidi ocima sua & maledicta regeram. Meque adeo senties non tua me tibi, sed mea interim causa respondisse. Neque enim scruta & quisquilias vilissimæ ac inquinatissimæ garrulitatis excutere, aut in te cloacam maximam, inque minores cloacas Alogias tuas puram infundere putes: recidat sane in eas, ac redundet, quod eluo expurgoque. Audi nunc iam quod doleas, quod ringare, quod expumes, & pessime tibi te, ac avunculo tuo, dum à me verissimam rerum gestarum seriem invito ac

nolente improbis maledictis extorsisti, velificatum sentias. Ioanni Heroardo pater fuit I. tonfor Mompelliensis: is, futurus Ludovici Regis Medicus Primarius (sic voluit Fortuna iocari) primis literulis levissime tinctus, Patris hortatu, qui filium è tonstrina in Iatreion propelleret, dedit se excipiendis illo in Studio, Medicis, quas vocant, lectiunculis: quarum ille, ut natus erat, Musis adversis, & Apolline nullo, brevi pertæsus, male tentatam Medicinam valere iubet, nido avolat, fit miles gregarius, & in iis quidem partibus, quæ duce Colinio, Religionis nomen perduellioni obtendebant. Ei autem erat, item ut Pater, & propinqui, addictus Heroardus. Montconcurii funesta illis acie concurritur. Ibi miles meus, ad primum statim tonantium ballistarum crepitum, exanimatus, dat se protinus in pedes, non ut denuo, sed ut ne unquam pugnaret; Mompellium usque fuga illa, subinde respectantem, abstulit: Ibi, dum vetere se ludo includit, per id tempus Iacobus Guillemeus Regis Chirurghi filius, Regis Chirurghi nepos, Regis mox Caroli Chirurgus ordinarius, juvenis, & plura discendi, & nova visendi cupidus Mompellium venit: ibi, ut fit, usu & commercio Scholarum, aut quo alio casu, in eius notitiam Heroardus incidit, meliore suo fato, quam publico. Redit Lutetiam ad partes muneris Guillemeus, cum rursus, ut improspere militiæ, ita infelicitium studiorum, ac Medicinæ, pœnitens Heroardus, qui se ubivis, quam ubi erat, minus miserum speraret futurum, Lutetiam, ubi aureos totos fieri homines audierat, contendit. Paucis quam advenerat, diebus, occurrit bono suo genio Guillemeo, qui pro sua humanitate nec oblitus nec aspernatus, sed amplexus hominem, petit quid venerit, opem illi & studium suum non benignius pollicetur, quam deinde præstat. Atque is: ô si mihi per te concilieretur vitæ subsidium aliquod, eò enim veni, ut miseras illas relinquerem! Pater meus, qui Ambrosii Paræi Caroli Regis Chirurghi Primarii contubernio utebatur, mandatum ipsi à Rege ait, exquireret juvenem idoneum aliquem, qui rem equariam, equorumque morbos, accurate disceret, ac sibi Hippiaater esset. Tum Heroardus arripere optatissimam spem, & nihil malle, quam

quam in regis familia quocumque loco esse. Agit illico cum Paræo Guillemeus: venit, vt constitutum erat, Paræi domum Heroardus, hunc sibi à Guillemeo enixe commendatum & traditum, Vincennas ad Regem deducit Paræus, pila se Rex de more oblectabat. & Paræus, Adduxi, Domine, qualem iusseras Equi-medicum futurum: & Rex, se improbatum negat, quem ipse probarit, in familia conscribi Ioan. Heroardum Hippiatrum jubet, quadringentas libras annuas adsignat. In eo & nomine & munere aliquamdiu egit, fautore, qui auctor fuerat, Guillemeo beneficium suum tuente. Vita fundto Rege Carolo, cui venatus, canes, equi studium, lusus & voluptas erant, successit Henricus, qui, vt sæpe diversa sunt & Regum & Fratrum ingenia studiaque, non perinde istis afficeretur; fringere, jacere tum Hippiatrum, & quid se fieret incertus, ad amicū certum Guillemeum ventitare, implorare, orare vt subveniat sibi. Curare Guillemeus & tutari, quem semel in fidem suscepisset, niti, prospicere. Erat Annas Ioyeusa Regis Hephæstion alter, hunc Guillemeus fideli, felici, ope atque opera ita demeruerat, vt præcipuam ei fidem haberet: ea gratia fretus Guillemeus, & de cliente suo Heroardo amice cogitans, hæc ad Ioyeusam Ducem, capto tempore, libere, nec injucunde: Tibi, Domine, in tam ampla lectaque familia deest, qui Romanis illis Proceribus nunquam deerat, privatus & domesticus Medicus. Is tibi habendus est, & propemodum inveni, cujus artem & industriam non contempnas. Illi ego, vt conciliator, ita præsum: nomen edit. Audito nomine Ioyeusa in risum effusus: Ego te, mi Guillemee, & hominem, & amicum putavi, at tu me equum putas, qui equorum medicum, mihi Medicum esse velis. Quod Heroardo ad mortem vsque perpetuum nomen hæsit. Et pater, qua erat benevoli animi firmitate: At eum ego tibi hominum Medicum affirmo, cui studio & Mompellii in patria naviter operatus est, & Lutetiæ celebri illi Dureto assiduam operam dedit, equorum medicum fieri se passus est, quod pro magno ac beato duceret, in regis famulatio quocumque numero censeret. Instare, ne rejiciat, quem nunquam ipsi, nisi per-idoneum norit, offerat. Victus ea per-

B

severantia Ioyeusa Guillemei clientem in familiam asciscit, aliquanto deinde post, Guillemeus, tanquam germanus ei frater esset Heroardus, ita de ejus commodis & honestate cogitans, sic cum eo: Vt Equi medici, inquit, nomen exuas, eamque famam extringuas, agendum nobis cum nostro Heroë, vt Hipponis regii Domesticorum, adeoque Hipponis (*de l'Escurie*) Medicum præfici te velit, iisdem stipendiis, quæ tu Hippia tri nomine à Carolo Rege capiebas: nec difficile, mutato modo nomine, munus in te id transcribetur. Annitente Guillemeo transacta res, nec longo deinde moranti tempore, Guillemei adnixu atque ope, Ioyeusa heri, cui nihil negabatur, gratia, regis quoque Medicus factus est, ex eorum albo, quos Therapontas .s. servientes vocant. Constat adhuc, & ad extremum usque constabit, Guillemei clausa nunquam in Heroardum benignitas, qui, si quid in vita fuit, non per se, non per alium quenquam, sed per vnum mortaliū Guillemeum, fuit, qui ejus imperitiam in se apud Ioyeutam recepisset, & ab illo sæpe audiret per jocum, ea viri comitas & urbanitas erat, At tu mihi equorum medicum, Medicum admovisti: cæterum, qui spondet, luit: ejus tu mihi vicem supplebis implebisque. Et ad regem, vt erat omnium ipsi horarum amicus, Miraberis, Domine, metamorphosin meam, cum audies, me in equum, at non qua Saturnum fabulantur de causa, transformatum esse, nam mihi velut equo, medicus est equorum Medicus. Verum fato potentia raro diuturnæ, rarius perpetuæ; nunquam autem, si nimia est, satis fidæ, refrigerata gratia, Ioyeusa honoris & imperii specie amandatur adversus Duces copiarum, quæ religionis libertate vim suam prætexebant. Et Heroardus, seu bellum refugiebat, neque dum à Monconturiano pavore se receperat, seu de immutato in Ioyeusa regis animo, homo acriter suspicax, & auscultator, inaudierat, herum de se optime meritum, quique ipsum ab Hippia tri vilitate ad Medicorum ordinem transtulisset, fædissime ingratisque deserit. Cujus flagitii culpam, is, cui omnia ille debebat, sustinuit Guillemeus. Ad quem Ioyeusa exprobranti similis, Tu mihi, Amice, & Equi medicum, & ingratum applicuisti, sed abeat

iste tua tam enixa commendatione, tam sollicita defensione, indignus. Ego illo facile carui Medico, & carebo. Accidit Ioyeusæ clades: substare in Aula, sed Guillemei semper admniculis ac præsidio Heroardus; quem bene-merendi, beneque faciendi assiduitate annos quadraginta sic prosequutus est, vt quem & Hippiatron & regium Medicum fecerat, Archiatron videret. Sublato per impium ac nefarium scelus Henrico, humanissimo Principe, spretus, contemptus, abjectus, nullius in Aula, nisi Hippiatrici nominis Heroardus; hærescit tamen in ægis successoris Maximi Comitiva, imò fastidiis potius adhærescit: quo se tamen verteret, non habebat, cum nemini consuleret, à nemine consuleretur: Cæterorum autem colloquium commerciumque Medicorum, imperitiæ sibi suæ, & ultimæ inscitæ conscius, sic vt creditorem decoctor reformidaret. Lugdunum rex venit ad exoptatum bonis omnibus conjugium; tum Heroardus, qui hanc vnam prognosin haberet rerum ac fortunarum suarum, ac prognosticus in eo certe esset, si minus Medicus, tentat, si quam sibi viam munire possit ad munus Medici (vt naturam quoque antevertit cupiditas) nascituri Delphini. Sentiebat, se neque nomen, neque autoritatis quidquam, imò alia omnia ad spem tantam afferre: pecunia, quæ quid non donat? grassatur, corradit octingentos nummos, quos in manum ferat Archiatro Iano *de la Riviere*: sed & preces in eam rem allegat ad comisissimum illum rogerum Bellagardam Archihypaspisten, id est, Armigerum magnum, vt se Hipponis famulitii, cuius Magister ille, Medicum, Delphini Domini vel in omen, Medicum legendum curet. Et Bellagarda, qui vix quidquam, obviæ vir comitatus, negare posset, agit cum rege. Audit, *Nondum nato, nondum opus esse Medico: Filius sibi si contigerit, non tamen adhibiturum equi medicum.* quo nomine ita famosus erat, vt eo nomine regi quoque innotuisset: esse Lutetiæ in-primis, esse in regno suo, amplissimam copiam Medicorum, penes autem se, delectum. Tu vero, inquit, Equilis Magister, equorum nobis Medicum obtrudis. Major me, vt rem video, quam te, meorum cura tangit. Orto mox ad populorum votum Delphino, instare

Heroardus, & spes suas pervrgere, patrono eodem, qui cœptis non abſiſtebat, Bellagarda, at ſi animantem ſatis noſſet, in equili vix eſſe locum ei pateretur. Pergit commendare, idque eo enixius jam, quo certius. & rex, ad Ianum illum Medicum ſuum, qui tum ab Heroardo ſummonitus aderat; Scis, ait, quem Filio meo Medicum deſtinet Bellagarda? Celebrem illum & notum equorum medicum. & Archiater, cui os auro fictum eſſet, Non poteſt, Domine, magis idoneus quiſquam infantibus Medicus apponi, quam qui nihil moveat, nihil præſcribat: quibus nutricis vber largum & ſalubre pro Medico ac medicina eſt, ſin aliquis Medici uſus erit, nuſquam abero. Tum rex, precibus vinei ſe ita paſſus eſt, vt ſagaciſſimus inſpector notoꝝque, & quem Equi medici vel odor vetus offenderet, bonus heu nimium! & facilis, non negarit: Medici autem ſui cura & arte, non iſtius, acquirerit. Tamen, vt res hominesque conſuetudine coaleſcunt, neque fere niſi per ruïnã, etiam vitioſã trabes ſummoventur, paſſa eſt Aula, paſſus eſt rex clementiſſimus annos 9. ſtirpis ſuã, nomine tenus medicum, cui nemo privatus, niſi qui non noſſet, demulcendos pedes committeret. Exinctus eſt Sol ille Galliarum, lumen ſeculi, regum decus. Præſtrictis oppreſſiſque illa nocte, quam ſempiternam horrebamus, omnium mentibus, vt in turbidis quæ in fundo, ſic in Delphini jam regis, qui rex natus eſſet, Medici munere ſubſedit Heroardus: cum eum quidem proſuſ amovendum cenſerent omnes, interim tamen ferendum, quoad conſtitutis rebus, idoneus ſufficeretur. Eaque reginæ ac Procerum mens erat. Cumque digniſſimus ac veriſſimus Medicus quæreretur, occurrebat, non magis publicæ famæ, quam ſalutaris operæ, ac præſtantium meritorum ſuffragio, Simon Pietreus, Simonis Filius, Nicolai, & ipſius Medici conſummatiſſimi, Frater, quem Medicinæ tantum vindicem, & expurgatorem, vere dixeris, quanta hominum vindex & expurgatrix Medicina eſt: virum, cujus nec integritati Catonem, nec iudicio Hippocratem, nec ſcientiæ Galenum, anteferres; cui ſalutem ſuam Medicina melior debet, quam à Pharmacopœorum ſumptuoſis offuciis, ab Agyrtarum præſtigiis, Planorum fraudibus,

Ciniſſo.

Ciniflonum fumis, Stibianiatrorum venenis, in priscam generosamque libertatē asseruit. Is, vt erat à cupiditate ambituque remotissimus, sperare magis quam optare: Tamen si vltro delati ad eum Archiatri codicilli erant. At ille, dignissimum esse se malebat, quam per se indignissimum depelli, & summæ interim autoritatis (ipsa etenim virtus pretium sibi), fructu contentus esse. Agitur cum Heroardo, vt det locum melioribus: Ille obluctari, reniti, &, vt polypus ad saxum, ad eam quam amplexu necat arborem tenacissima hedera, adhærescere. Non leue negotium esse dicere, notum, assuetum, & Regii temperamenti inde ab ortu prognarum, abspellere, si quid Regi accidat, non defuturos qui pro se loquantur, & consilium ex eventu damnent. Vrgent nihilominus rerum Administri, veniam vt oret tanti muneris, tanti oneris, neque ex Aula sic, vt è naufragio nudum, discessurum spondent. Parata ipsi commoda. Ille rerum & rationum suarum diligentissimus, Rationum Magistri munus poscit, defertur Auditoris: honestum autem esse, prima sequentem, in secundis tertiisve consistere: cum semper incerto statu pependisset, vt cuius de insciētia Aula omnis non suspicaretur modo, sed crederet, intervenit Concini supplicium, & conversa, vt humana sunt, rerum facies. In quo sibi gaudere potuit, at non debuit, idem esse suum & Gallia fatum: quando illo fluctu in portum quodammodo projectus est, si portus tamen, & non æstus est atque iactatio, in Aula Primum esse loci ejus, cui ne infimus quidem, omnium iudicio, permittatur. Sed vtatur, fruatur sane, per melicet, dum Primarius Regis Medicus id, quod non est, Equorum Medicus id, quod fuit, audiat. Ad te, ô Curte, seu Canis, seu mavis, Equus, venio, quem alii decurtatum canem, & curtati, seu cauda mutili canis, fustitudo accipiendum vulgo ferebant. Evocat te sororis filium Mompellio vestro Heroardus, vt esses, in quem trimestris Medici onus, Guillemei Patris monitu adituque sibi olim impetratum, transcriberet; effecitque (vt in Aula sapius Fortuna dominatur, & in ea qui aliquid potest, plus plusque potest, si audet), substitueris equario medico curtus equus: quod de vtroque vestrum ita tritum

C

pervulgatumque fuit, ut nemo, vos qui nosset, haud aliter so-
 queretur, quam te, ut equi-medici eurtum equum, Heroan-
 di, inquam, Curtum, seu brevem equum, appellaret, & di-
 gna dignis, equi-medico equum nepotem obvenisse. Iugum
 subirent pares duo, & rhædam traherent. Par nunquam me-
 lius compositum fuisse. Abunde habebat infamiae suæ Avun-
 culus, ut ei gestanda quoque esset Curti sui stoliditas, ignora-
 tio, rusticitas, stupor, absurditas, imperitia. Nimis, inquam,
 suo onere laborabat, ut ei præterea bajulandus esses, in
 quem tua tot dedecora redundarent. Agit igitur mecum
 Avunculus tuus, mecum, inquam, cujus fide ac studio merito
 confidebat, se ut incide illa, quam sic omnes in sui etiam con-
 temptum, tundant, levatum vellem. Ego illius verbis insto
 tibi, ut ad breve tempus ad tuos te recipias, Medici munus
 reddas. Interim illi unde habeas, non longum fore, cum te
 ipse revocet, ubi se in Aula, cujus lubricum non ignoret, re-
 cens à lapsu confirmarit. Vix in ea stare se posse, nedum ut
 te sustentet, ac humeris portet. At tu, nisi tam oblitus es tui,
 quam immemor es mei, meminisse potes, quam tibi surdo nar-
 rarim fabulam. Etiamnum videre mihi videor, resitantem te
 ac tergiversantem, dictitantem, tuum id esse munus, & abdi-
 care nolle. Mene, aiebas, evocavit avunculus, ut extrudati-
 ejiciat? Tum ego illi & verba tua, & quam mordicus os ab
 ipso tibi objectum retineres, sed non ante quam me perconta-
 tus est, renuntio, leniens quantum in me fuit, commotiorem
 ejus in te animum, cum dicerem (ita tui me miserebat) Tuum
 ille opus est, tuo jussu venit, ornatus est beneficio tuo, se for-
 tunasque suas tibi debet, acceptoque fert, orat, obsecratque,
 ne se exuas, & nudum ad suos remittas. Tum avunculus ex-
 cuffis dolore lacrymis, quæso te, ait, amicissime Guillemee. ex-
 pedi me onere illo molestissimo, quod ego ferendo jam fessus,
 abjicere cogor. A sinus ad lyram est, unde nihil sperare liceat,
 nisi meum illiusque ludibrium. Adi, amabo te, ad agnatum
 meum Mœnilium, qui minas illi meas intenter, affirmerque,
 nisi ultro rebetet ad suos, scire me ubi Martini claustra sint, eò
 me, ignavum, nequam, inertem, & nullius pretii fucum con-

jecturum esse, ubi vapulet, ingemiscat, esuriat. Audiisti à Mœnilio denuntiationem ultimam. **E**purandum tibi sensisti munus id, aut bonam copiam, cum qui te induerat, ornamenta tibi sua detraheret. Quiritans, plorans, ejulans,

*Pulsus abis, longeque ignotas exul in oras,
Multa gemens ignominiam.*

Cum Aulicorum, quisquis vos norat, ut urbanum est & dicax genus, quid morbi intervenit, dicere Curto illi Primi-medici, quod jam nusquam comparet? num clavo inter calceandum punctus est? num vectando, vexandove, fractus? homo nemo unquam, credas licet hæc levia inspergenti, sic pro bestia acceptus præsens absens, omnibus, quæ in jumentum cadunt dicitur, ut passim avunculus, nepos, sessor, & Curtus, perstricti estis, miserante profecto me, non mirante. Et tu, cantherium in fossa, Canis cellarius, hominem, de quo meritò queri nemo potest, quin de se antea queratur, ejus qui avunculo tuo plus quam parens fuit, filium, de ipso te melius quam avunculus, meritum, post annum quadragesimum in portum emeritæ quietis, & otium non illiteratum, nec inhonestum, ex ordinario Regis Medico, & tot annos avunculi tui vicem, sciente, volente, jubente Rege, Archiatro, qui alios etiam per nimiam, audeo dicere, modestiam Archiatros feci, & ingratos iniquosque sum perpeffus, qui maledixi nunquam, maledicta necessario in infestos retudi, & anguinis tantum dentibus lima fui, furiosus invasisti immundissimo cœno spurcissimæ maledicentiæ tuæ resperxisti, ut probra vestra, quæ nimium celavi diu, ac protexi, in apertum proferrem, si tamen profero ipse, & non avunculus tuus malevolis tot acerbitatibus, calumniis, fraudibusque in publicum extraxit. Tu vero Camarinam vestram, quam, si saperes, immotam sineres, moves odiosissime, & in ferreum tibi os, ac durissimam frontem eluere cogis: nam quoties me lutulenta Sus, A sinusve, inquinat, toties elui mihi necesse est: quod ita esse tot annorum silentium arguit, mores mei affirmant, perpetuus vitæ tenor attestatur: ut virulentæ malignitatis petulantia tua sit, defensio hæc, necessitatis; siquidem qualis quisque est, talis & haberi vult, pro albo ater,

C ij

pro candido rufus, pro bene merito ingratus, videri non vult. At perfidum etiam & scelestum, improbe, perfide, ac sceleste, ipse nominas, & rufum addis, perfidi scilicet ac scelesti argumentum, qua tu stultitia, omnium in te ruforum, item ut crabronum examen irritasti, qui te si exsertis aculeis perstimulent, & Vlyseo utre inflatiorem reddant, non invitus patiar. Pari vecordia rufum me Corvum crocitas, ut non ab ipso modo rerum colore aberres cæcus, sed ab ipsa naturæ veritate, dum mihi probra occinis, abhorreas. Rufum corvum præter te nemo vidit, Guillemeum ingratum, perfidum, subdolum, nemo nisi ignarus ingratusque dixit, nemo nisi impudentissime mendax, cornicatus est. Non vides id quod est, id quod non est, vides. Guillemeum rufum item ut rufum corvum, & hiantem eum, qui te hiantem & famelicum non semel pavit, delusit vero nunquam, confingis: qui si ab ingratis, à perfidis, invidis, maliloquis, maleficis, elusus interdum est, at ipsum nunquam constantis fidei, grati ac liberalis animi, prolixè bene de bonis merendi voluntatis pigebit.

Nova mihi jam & ordiendæ & pertexendæ tela est rerum ac rationum mearum cum Ioanne Heroardo tuo, cui paterno clienti, nexo, obæratoque, & veterum Solduriorum fide, si quid in eo fidei inesset obnoxio, quid debuerim, quid quantumque ille mihi vicissim, quam deinde nihil debuerim, audi ex aperto candidoque pectore, cujus testes invoco quibuscumque ipsis apertum candidumque pectus est: Voce autem factorum dictorumque certissima indice, verissima teste, Ea vero mente, quæ mentiri, flagitium, maledicere, scelus, alienæ famæ, item ut rei, detrahere, crimen semper putarit. Quæ porro dicturus sum cum ipsa sibi fide jubeant, perque se constant, oculis cernantur, nec testibus egeant, rerum velut passibus ac vestigiis impressa sint, virorum tamen, ut genere, fortuna, dignitate, ita fide ac gravitate illustrium autoritate nituntur; quorum ego luce ac splendore non sum tuam istam cæcutientis imbecillitatem, nisi necessario, præstricurus. Rebus suam lucem si affudero, nimio quam noctuam te, & hebetes oculos tuos offudero.

Ego

Ego, liberalibus studiis imbutus à puero, in hujus Parētis Doctrinarū celeberrimis Gymnasiis, & insignium Grammaticorū, ac Rhetorum auditor assiduus, in Ioannis Craffoti, nobilis illius & consummati Philosophi contubernio, honestissimarum Artium orbem emensus, hinc clarissimorum Medicinæ Antistitum, Riolani, Buvardi, Caroli, bienni disciplina sic, vt nec Doctores discipuli, nec Magistrorum me pœniteret, institutus, anno seculi hujus decimo, ab optimo Parente meo, cui de indole mea spes aliqua esset, in Aulam deducor. Injuriam faceret Heroardo, si quod suo ipse nomine, & per ita multos Primi ordinis Viros posset, per alium tamen quemvis, quam per Heroardum faceret, Regi me vt daret dicaretque. Fungitur amici officio, & paternis vicibus per-liberaliter Heroardus, Regi me ornatissimis verbis commendat, dignum Patre Filium prædicat, omni studiorū liberalitate cultissimum, qui optimos quosque Scriptores non intelligentia modo, sed præsentī memoria complexus essem, cum Medicinæ non scientia modo, sed trienni vsu illa in morborum & sanitatis officina maxima Nosocomio Parisiensi, Chirurgiæ peritiam & intrepidæ manus securitatem (si quisquam alius) conjunxissem: addidit de ingenio & moribus, quæ libuit, vt, quæ patrius pudor defugeret, ea pleno ore, talium non imperitus, buccinaret. Hæc cum apud Regem, & qui Regi plurimi & summi Viri aderant, deprædicasset, non reticere porro apud omnes, bona omnia dicere, me famæ tradere, Aulæ conciliare. Sic enim est profecto, etiam qui gratus non est, gratum se haberi discupit, ingrati opinionem reformidat: quod animæ, vt cum Tertulliano loquar, testimonium est, ad justitiam & gratitudinis sensum factæ natæque: ab ingrati autem vitio abhorrentis. Nullum finem facere ornandi mei, ferre in oculis, à latere discedere, quocumque illi adeundum esset, nusquam pati, deducere, pro sodali habere, mecum serua & iocis partiri, plane, vt filio, acquiescere, patriam in me caritatem implere: cui ego, omni & officio & pietate respondere niterer, in comitatu assiduum & proximum contubernalem, mensæ ac horarum omnium participem velle. Quæ tam effusa in me studia alebam ego, & au-

D

gere pergebam assiduitate, obsequio, veneratione; filii metu, iucunditate, & illa, quæ naturæ potius, quam artis est, ingenuitate observantiæ, ut ad senis mores adolescens vltro me conformarem, idem quod ipse velle, idem nolle, partes meas pensumque ducerem. Quod utriusque nostrum percommode accidebat, cum vno eo mihi placerem, si illi placuissem, & illi beate esset nacto indolem ejusmodi, quæ sibi amici æqualitatem, filii suavitatem impleret, quippe tenuitatis suæ sibi conscius, notitiam solitudine vitabat, ut raritate fastidium contemptumque exiret, inspicere metuens, fugitans hominum, maximeque doctorum, sui amans, suspicax, meticulosus, qui latebris suis gauderet, lucem extimesceret. Hæc quidem illo quo superstes fuit Pater, triennio maxime. Patre vero nobis rei publicæ adempto, qui ejus muneri successissem, paternam in Heroardum pietatem prope congeminare statui, ut qui mihi pro altero Parente fuisset, jam pro vnico esset, ego illi, cui proles nulla esset, filius vnicus. Sic anni insuper duodecim acti inter nos sunt animo mutuo, & certamine inde benevolentia, hinc perpetuæ obsequentiæ: cuius me adeo non pœnitet, ut fructum eum vitæ lætissimum existimarem, cum & in eum gratus essem, cui me percarum sentiebam, & disciplinam haberem Aulicæ commoditatis, ubi alieno sæpius arbitrio, vultu certe vivendum est. Succedebat & adventitium ex eo bonum, ut, officiorum sementem qui facit, bonorum messem adultis illis & maturis speret: mire probari omnibus observantia illa, tum Regi Domino imprimis studium ac sollicitudo obeundi erga se muneris, & quod, ut ait ille, serviebam liberaliter: ut ex bene conscio animo, fiducia, alacritas iucunditasque, inde gratia provenit, & pulcro reddit sua dona labori: factum est, illa perseverantia, sedulitate, amore officii, ac religione, *ut invenire gratiam in oculis Regis*, & fidem mihi tribueret, audeam dicere, singularem; ne addam, arcanos mihi sensus crederet. Sed quæ me felicitas Regi meo conciliarat, eadem à me Heroardum abalienavit, ex infirmitate animi atque invidia, dum gratiam meam frigus suum putat, qui lucro à numerare debuit, quod mihi accrevisset; quis enim filio invidit, qui patrum

animum gereret ; & detrahi sibi putavit , quod illi accessisset? Eò acrius intendi livor , & malevolentia , quo se Regis gratia magis promit profertque : quo gratius illa mihi lux affulget , tanto illi grāvius oculi dolere , nec ita tegere tamen abstrusum odium , quin se interdum etiam oculis & vultu proderet : cui ego malo dum mederi omnibus officiis & obsequela studeo , fabrilem esse carbonem sentio , qui affusa aqua vivisceret . Regis in me benignitas augeri , Heroardi livor incendi . Erat rex illa in expeditione , quam anno 1622 susceperat ; pergebat Mompellium , cum Castrinovi , darri vocant , accedente ad interiores causas ardentissimo æstu , irruit ei in pectus longe gravissimi rheumatis impetus , vnde in fauces , pervicacissima tussis , quæ nullam ipsi diurnæ nocturnæque quietis partem relinqueret , nec ea sine febrili commotione . Ego , qui non dubitarem venturum eò Heroardum , vt venam minueret : vt vidi hominem de salutari & necessario præsidio ne cogitare quidem , angebar vehementer & æstuabam : Et rex , quem dolor perurgeret , ad Heroardum ; dic , ait , Guillemeo , velle me , vt in cubiculo mihi meo cubet , qui , si quid evenerit , id te admoneat . At ille , nihil , inquit , Domine , ista re opus est , leviculum est incommodum , ac prope nullum : Et , decubiturum se fuisse , si res posceret . Tum rex non molliter , volo , ait , cubet . Ego me fat bono loco natum puto , cujus in cubiculo pernoctet aliquis ; & is , quem volo , Guillemeus est : qui , si tu excubes ; & ille nihilominus . Quæ regis eum verba ita perculerunt , vt invidia acerbius discruciar , sibi metuere , in meam perniciem omnes machinas intendere cœperit . Interim , vt erat veterator , & callidus simulandi artifex , dolorem animi premere ac tegere , nec ita tamen dissimulare posse , vt rex perspector acerrimus , non pervideret , nec mihi quidquam interea , quod postea factum est , indicaret . Noctem ago in regis cubiculo , quam asperrimam à molestissima tussi & perpete insomnia passus est : tum doloribus suis illacrymans , Domine , aiebat Magister noster , sic me rex meus , sic regis exemplo Aula omnis vocitabat , nihilne mihi opis aut levamenti adferri potest ? Mane erat , aderat aniaros aniatros , qui omnis generis syrupis ,

D ij.

ô labes! pro clystere regem sublinebat, an subruebat? fauces autem sublinebat (os cuius potius, vel mihi sublineret), spiritu, quem vocant, atramenti sutorii, quem ne aqua quidem è plantagine, quod qui nesciunt? temperaret. Ego, quem regis mei sic miseresceret, vt lingua palato hæreret, ac tetram illam pharmaciam detestarer, abjecto calcantho, epiglottida & fauces sola plantaginea permulcebam: & cum Domini ægritudinem eam perferrem animo, quam ille sic affecto corpore, in magnis versari angustiis, angi metu, dubitatione æstuarer. Qui enim medicinam ita facerem, vt ab omnibus Aulæ Proceribus adhiberer Medicus, neque dum tamen titulo Medici publice insignitus essem, Bartholomæum Barralim, Medicum regium confulo, Medicum perspicacissimæ intelligentiæ, iudicii, peritiæ, artiumque Principem Medicarum: aperio illi, viro probo & fido, anxietatem meam, & miserabilem regis statum, qui levare sine præsentis ope non posset: eam ab Heroardo, quod invitissimus dicebam, sperandam non esse: certare in animo meo, inde amici verecundiam, hinc religionem officii fideique in regem ac Dominum, quæ omnia officia omnes respectus vinceret. re diu anxieque agitata, consilium cepimus necessarium. Enimvero illud non esse diutius prolatandum, cum in mora periculum, ac scelus nefarium esset. Et regem, Deus Opt. Max. qui tum adest, cum desunt; tum agit, cum homines cessant, respexit; gravissima tussi minus minusque quati, levare, & ^{præces} fieri. Sed in ipsa vi morbi, rerum ille prudentissimus, & vt genere sic ingenio Princeps, Condæus, mittendum esse Regi sanguinem, non mittere, scelus esse, pro sua in Regem fide, palam vociferari, tam imperito Medico crurifragium deberi, removendum illico esse, sed per justum meritumque supplicium. Mihi ipsi culpæ, imo crimini dare, qui Regi non indicassem, prodi salutem ejus per ultimam istius inscitiam. Ignorabat videlicet, quo studium suum fidesque magis emineret, eo suspectiorem esse, insurrexisset Regi hominem nequissimum, Medicum nidoctissimum Heroardū, ne quid Principi fideret, qui libens extremam, tum ipsius, tum Domini fratris, guttam sanguinis exforbeat. Venenum

nenum Sufurronis: virus pestiferum calumniatoris, cui artificium esset
 --tenui jugulos aperire susurro:
 ut quam noxius Medicus ipse, tam exitialis susurrator esset. Bliteram Septimanorum, vulgo Beterras, ventum est: ibi ille ne peritus quidem Balneator, Regem, cui à morbi reliquiis, crudis & immaturis humoribus corpus redundaret, in balneum, nulla prævia præparandi præpurgâdique cura, conjicit: quod ego vix tacita indignatione perhorrescens, vna Dei ope, ac Regis iuventa spem meliorem fovebam. Divina manu rege incolumi, & capitalis In-medici sui inertiae incitiaeque victore, non vsque tamen eo, ut tussicula, & ea nimio quam diuturna residua fuerit, Servatoris Dei clementiam devenerabar. Bliteræ interea diem obit Philippus Regis Chirurgus Primus. rex, Heroardum accersit, eum de more percontatur, quemnam in demortui locum sufficiens iudicet? Ibi is, cuius me alienatione parricidam nominas, ô scelus! singulos regi trimestres. s. inservientes Chirurgos, nominatim edit. Inhæret autem cupidius in commendatione ordinarii Chirurgi, Magni nomine, additque, polyhistor videlicet, & aptus comparandi artifex, esse munus id, velut Regis Romani dignitatem (Cæsaris nobilissimi diceret, si audisset) sic parvis componere magna solebat; ad Chirurgi Primarii gradum, cui proximus jam esset. Et rex, At tu de Guillemo mentionem nullam, verbum nullum facis. Tum vafer ac recoctus senex improvise ictus, Illius, Domine, tibi nomen expediebam (in faucibus hæserat videlicet) eum ego servabam, in tragema & palati gratiam. At rex, firma & magistra voce, âteverto, inquit, te, & munere illo Guillemum dono. Tum versipellis meus, illo velut fulmine afflatus, advocat me, futurus gaudii mei, odii sui nuncius: Et statim, rex te, inquit, Primum sibi Chirurgum esse jubet, age gratias illi singulares, cuius vnicæ id ac singulari in te benignitati debes. Ego enim Collegas tuos omnes prænominaveram quidem, cæterum te in ultimam suavitatem reservaram, & Regis de te sensum prætentabam, qui si alium nominasset, elusissem tamen solertia, effecissemque, ut ad te res perveniret. Ego, verbis verba excipio; regi quantas animus capere potest, gra-

E

tias habeo: Et ille ad me: Tua, inquit, mihi sedulitas & studia sic perspecta, sic probata sunt, ut quod regi Parenti meo, mihi que Pater tuus, eum esse te, sed Primarium Chirurgum velim, tu à me, à me, inquam, id munus habeto, atque hæc, demonstrans præque se ferens, nihil ejus à me deberi avunculo tuo, in quem ingratum me tam propudiose criminaris, & per eum non steterisse, ut quis potius, quam ego, quem ne nominasset quidem ei muneri præficeretur. Nec reticet Dominus optimus, quam te olim amabat, si amor is fuit, tam te male jam odit: sed tu mihi sedulo probeque, ut soles inservi, frustra te, ac sine noxa oderit. Vides, Canis Curte, Canis Cellarie, homo de Cane, quid avunculo tuo deberem. Audi porro quid deinceps debuerim: omnes in me artes, ipsamque adeo infortunii ballistam tendebat, captabat me subdolos capere vsque, ac perdere; ego petitiones illius vitare, non inferre.

Anno 1624 rebus compositis cum natione Heterodoxorum, Lutetiam rex triūphum & pacem reportat. Genoveiæ in Nemoie dum venatu indulget, morbum incidit, cujus ego morbi historiam non attingo, quippe quam non instrenue persecutus sit Guillelmus Verus: hinc autem eatenus, ut ingentis illius ac politici nimirum Medici artem doctrinamque, quanta fuerit, cuius liceat animadvertere. Ad eum diem, annum, inquam, suum quartum & vigesimum, obstupescet, qui hæc leget, intrito nullo rex vsus erat, neque jusculi quidquam (novum & incredibile) hæcenus sumplerat, neque id operam dederat Heroardus, ut more certe hominum, qui, ut Homerus canit, *ἔδουσι Διμυτῆρος ἄνυτῶν*, panem esitare à puero confuesceret. Ex victu & diæta rota Medicum facile intelligitis: ne Pythagoreum quidem, nedum Christianum, quippe in ratione victus Medicinæ summam Pythagorei reponebant; Christiani pane libentius vescuntur, ut celesti pane animam reficiunt. At iste cerebrosus ac præfractus, ignarus puerilem educationem magnum in vtramque partem tenectuti vaticum esse plurimum, si recta sit, ad longam & felicem ætatem momenti adferre, à vitiosa præfestinam tenectutem in mortem præcipitari: aut, si quid ejus conjectaret, infidus ignavusque

in super habens, perinde quasi ab hoste appositus Regi Medicus esset, audi fas, audi fides, audi Hygeia Salusque, in alia ad verlaque ibat omnia: Nā, si vitæ tutrix, custosque certissima est sana sapiensque Diæteticæ, quam victus arbitram ac moderatricem, imo vitæ ipsius vitam, merito nominant, quin ea qua Regem Dominum avunculus tuus per impiam & execrandam adulationem indulgentiamque, per postremam ignorantiam confecit, pestis, pernicies, morsque appellanda sit, nemo dubitabit. Est enim puerilis vt ætas, sic educatio vitæ totius insequentis fundamentum, quod bene si posueris, firmam ac laudabilem ædificationem reliquam habiturus sis; sin sequius, vel firmissimam conditionem pessum des, & in præceptis ac præmaturum exitium protrudas. Regi blandum quotidie venenum, & jejuno quidem, propinabat, horresco referens, ferreum esse oportebat, qui daret; ferreum, qui sumeret, nec sensim periret. Vinum ex aromatis factitium, cui ab Hippocrate nomen nequam vulgus facit, cum hypocrama sit: aut vinum Hispanicum præbebat, quasi ab infesta gente *δωρεον ἀδωρεον* missum esset. Noli, denunciat Regum sapientissimus, noli regibus dare vinum; noli, Heroarde, regi dare venenum: aut Appianum exhibebat, igni nimirum ignem addens, ac delenificæ suavitatis maleficium, & qui

Non satis ad mortem crederet esse datum,
multo saccharo, hoc est dulci veneno, id virus intendebat,

Cogeret vt celerem vis geminata necem.

Emollienda & subducenda alvus, aut expurgatiuncula opus erat; vt venenarius ad pyxidem, sic iste, non ad ignotum sibi Hippocratem, sed ad hypocratum suum, quod senam, non sanam profecto, vocabat, confugere, id erat sena nomine, sed sacchari, cannæque aromaticæ sexcuplum, vt ad salubre vnum sex noxæ adderentur: nonnunquam & scammonio violenta illa ac virulenta delenimenta miscebat; scammonio, inquam, quod stomacho infestum, ac siticulotum esse, ac purgatorius omnibus ventriculo nocentius, nemo, nisi cui doctrinæ curtissima supellex est, ignorat. Et tot venena nullo præsumpto antidoto, jejunos, inquam, Medici, an venefici

E ij

fui manu, si purgandum ille regem pro sua ignoratione duceret, præsumebat, ut ni vis boni, hoc est firmissimæ naturæ bonitas regi subveniret, adolescenti moriendum fuerit, qui in ipso ætatis & victoriarum flore præreptus est.

Alter regi dies ibat morbi non levis, à Genevæ luco domum in urbem reportato. Ea erat fluxio in pectus, acerbata tussis, faucium inflammatio. Quid egregius Archiater? illo, quod descripsi, remedio (venenum nega esse, Curte) regem purgare scilicet, meditabatur. Et audebat, nisi ego, cum avunculo tuo parricida, & is vere essem, quem me scelestè nominas, ei obstitissimè, si dei meæ, ac gravissimo timori paruissem, perniciosissimo ejus conatui obviam occurrissimè, regem mihi fidentem fido, venæ sectione procurassimè. Interjecto biduo advocantur in consilium Proceres artis: in his Valterus Matris reginæ Primarius Medicus, & prudentissimus ille ac consultissimus Seguinus, qui deinde reginæ Archiater. Illi opus meum magna voce laudarunt, nec abstinere potuerunt, quin avunculi tui supinam extremamque ignorantiam aperirent, palamque damnarent. Tum illius in me diu male dissimulatum odium erumpere cœpit: Tum ego, quia impio & parricidiali assensu illi non assentor, scelestus rufus, perfidus & parricida extiti videlicet. Ibi avunculum tuum prodidi, quia regis mei salutem ipsi consentiens non perdidi: ibi se doli, fraudes, & astutiæ meæ ostenderunt: quæ tu nempe nomina fidei, fidelitati, religionique induis, regi suo fidelem esse perfidiam vocas, parricidium nominas, parricidam non esse: scelus autem scelere se nefario non obligare. Sed, ut ille dies avunculum mihi tuum inimicavit, imo hostem reddidit, ita regi Domino sic approbavit, ita valetudinem suam vni mihi plane regendam credidit, ut pharmacopœos, qui tum in ministeriis erant, nominatim jussit, præcepta vnius mea diligenter exequi, Heroardo nihil obsequi. Vivant peritissimi Barangus, & Flamenus, tam sciunt, vera loqui me, quam se vivere: jussit Rex insuper obsonatores, seu rei cibariæ ministros (ab ore nominant) quidquid ipsis præscripsissem, sedulo curarent, præceptorum ab Heroardo, rationem nullam ducerent. Ornatissimus Balduinus,

divinus è Regiæ domus Rationalibus, cujus Pater viduum dominicum solus administrabat, cætera item ciborum Officia; norunt attestanturque, functum me solido quadriennio, quoad superstes Heroardus fuit, & antequam illi per me Buardus substitueretur, Archiatri munere, cessante interim, & nihil agente avunculo tuo, nisi quod ringebatur, & livebat, Regi Domino tam carum esse me, mortem suam putabat, quorum omnium, præter vivorum testimonia, fidejussores habeo Regis codicillos, quibus mihi Primarii Medici munus partesque mandabantur. Rex, ut revaluit, firmior jam, & in dies meliusculus, inter jucunditatem ex recepta salute ac lætitiâ, id quod dudum erat ei de tuo avunculo persuasissimum, audiente denique ridenteque Aula vniuersa pronunciavit. Heroardum, seu mavis, politicum tuum, omnium, qui vnquam nati, essent, ignarissimum esse Medicum, imo, tam nullum Medicum, ut ne minimum quidem ac vulgare præscribere remedium nosset, funditus expertem, ac inexpertum Latine dixeris; si Latine, scias ἀπειρος, non ἐμπειρος, si Græce noris, item ut ipsum te opinor, non Empiricum, sed apiricum, si te ipse Græce nominare possis. Sed vide, an verissimo Rex eum nomine diceret, de quo liquido sciret compertumque haberet id, quod tu jam non sine cordolio, cum risu multi, sine indignatione pauci audient. Manifesto compererat Rex, non indice me, veritatem testor, qui avunculo tuo, quasi patri, nisi cum publici Parentis Regis mei salus agebatur, peperci; certo, inquam, sciebat, avunculum tuum, si quid ipsi medicaturus esset, receptorum, an deceptorum, codicem replicare suevisse, quæ ipsi Medica supellex & Ars esset, ut veterinariis & mulo-medicis familiare est; inde promere, quod in rem esse suspicaretur, ac descriptum Pharmaceo edere; cui ne clysterem quidem sine libri sui ope præscribere aut nosset, aut posset. En summum tuum, ô Curte nepos Archianiatrum. Hoc Rex, ut manu teneret, ac ludo frueretur, omnes nos arcessi jubet. Adsumus. Tum ad Heroardum, tu mihi in craftinum Medicinam adhibendam ais, volo coram jam præscribas. Et ille, solens suo more, Ego, Domine, recta domum: ibi describam: Et Rex, Volo in præ-

F

sentia per scribas. Tum singulis nobis, mihi que annuens, ne drama turbemus, neve ipsius adjutemus inopiam, chartam, & rem scriptoriam perferri mandat. Et ad me: Tu calamum cape. Pareo. Hic Tantus ille tuus, restitare, hæere, & in Gordii nodo explicando esse, cum aporia inexplicabili, amens & impos sui, numen dejerans, ut impie, perditæ, ac desperate solebat, quod vobis, ait, libet, præscribite, id ego approbo; abique, inertia imperitiaque à rege convictus ac damnatus. Regilus jocusque, Aulæ fabula & ludibrium. ò regis incredibilem in tanta indignitate ac fæditate ignorantia vestra, tot annorum patientiam! I nunc, & Asclapionis tui currum triumphantis trahe Curtus suus, & exerte adhinni eum virum, incomparabilem Medicum, imo doseon mendicum singularem: politicum autem appella summum, imo summarum doctrinarum antistitem, quod, ut nemini dubium esse possit, quam vere effutieris, hæc insuper testimonia documentaque accipe. Si quando regi in lectulo vigilanti, si prandenti cœnantive, serium, aut eruditum aliquid, quod nec raro fiebat, narraretur, aut Medicinam salubritatemque attinens, homo tuus ingens ille Medicus, ne hiscere quidem, ex eorum nimirum gente, quibus pro scientia silentium est, pro Hippocrate Harpocrates, de interiore doctrina perinde ut de rebus Medicis, quæ omnia juxta cum idiotis norat, pervicaciter tacere, ut ad equi-medici pervulgatum ac vetus nomen, muti Medici adquiret.

De Regis illa quam dicebam, ægrotatione, ejusque prospera demum judicatione plura si expetis, ea te vere Guillelmus Verus edocebit, cujus ea moderatio fuit, ut de avunculi tui ultima inscitia reticuerit, sic, ut ipse jam reticuissem, ni me alta silentia cogas rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem, quæ si tu invitus legis, ego vero scribo perinventus, sed impudenter mentienti, & detestandis probris ac convitiis in me bacchanti furentique, verbis tuis (stulto quippe pro sua stultitia) factis autem avunculi tui necesse responderi fuit: quod si tibi dolebit, ipsum te incusa, cui quod intristi, bisque improbe ingessisti, exedendum est. Accipe igitur ex eodem mortario,

eodem piſtillo tuo, quod parare mihi me adverſus venena maledicentiæ tuæ alexipharmacō adegifti: & agnoſce demum, qualis regi Medicus eſſet, qui ſeipſum ad eum, quem dicam, modum curaret. Annus erat 1624, menſis Iunius, Fani Germani ægrotare cœpit In-medicus tuus; horror anteceſſit ingens, ſequutus eſt calor ardentiffimus: dolor ad hæc atrox in dextram coxendicem incumbit. Mittit ille qui me perquirant; dum morantur, & in inquirendo ſunt, acerbi cruciatus impatiens, nutritum (Officinæ vocant) ipſe ſibi, quo affecta coxa perfricaretur, interi jubet cum ſuccis ſolani & plantaginis; addit, quam deglutiat, ladani pilulam, alliciendo ſomno, & dolori leniendo. Accurro, & jam regis ille Pharmacopœus Barangus, in plumbeo mortario pharmacō & ſuccos eos terendos curabat, ipſe pilulam conficiebat. Et ego, cui ſphæron iſtud? quid iſtue rei eſt? Ille ſubridens, id, inquit, eſt, quod Primus ſibi Medicus, dum tu in quæſtione es, dum tui copia non eſt, & vrget dolor, ipſe ſibi præcepit, ne intervenires, opinor, percepturus. Ego, ludisne tu de vita ejus? tune, qui vir bonus & peritus audis, mortes quoque, vt nimis multi, teris, & offers? Et ille, Deus meliora, quam vt ſuum ipſi virus exhiberem; interea parandum fuit, dum tu affores, En ſummum artificem tuum, Curte nepos, his ille ſe remediis percipiente febre vehementiffima muniebat; ne videlicet Hippiatrī nomen amitteret Archiatrus. Ecce jam parricidium, ecce me parricidam; qui enim filii mente animoque in eum conſtanter eſſem, ægro ei large demi quatuor vaſcula ſanguinis curo, ſex deinde interjectis horis, ex altero brachio minui, tantumdem demque detrahi præſens jubeo: quo præſidio febris pulſa ceſſit, naturæ vis expeditior, & ſui iam compos, in eryſipelas, quod in dextram eam coxam erupit, morbi cauſam ejecit: quo ille meo parricidio, vt palam agnoſcebat ipſe, prædicabatque, ſervatus eſt; ſic parricida ſum, qui eum, ne ſui parricida ſit, prohibeo, præſentem necem depello, & à morte revoco, vt tu mihi iam Comici verbis compellandus venias:

Quid feci, quid commerui, aut peccavi, Canis?

Qui ſeſe in ignem injicere voluit, prohiberi, ſervavi,

F ij

Nam si illum objurges (& parricidam voces) vita
qui auxilium tulit,

Quid facies illi qui dederit damnam aut malum?

vt ipse sibi certissimam mortem datum ibat. Anno 1625 Regis
assiduo non jussu magis, quam hortatu, adeo ad Confessum
hunc saluberrimi Ordinis, vt me in cœptum initumque jam
cursum (hoc est, in stadium, commissis jam Olympiis) athletam
admittat. Tentat me solenni seвероque examine, ac singulari
prærogativa, quo ego illi nomine sempiternum obstrictus vi-
vam, consentiente, ac vnanimi omnium Doctorum voce,

Accipit, agnoscitque libens. ---

Et non illud ego castæ sinceræque Medicinæ Sacrarium omni
cultu ac religione venerer, non illi vitam fortunæque addictas
habeam, cuius me beneficio, tanto sentiam honore honesta-
tum. Tam eximiæ itaque prærogativæ, omni animi studio, vi-
gilanti labore, assiduitate officii respondere conor: stadium
Medicum, ne quid amplius dicam, inoffenso pede ita decurro,
Primum vt mihi locum in missione, Magistrorum omnium suf-
fragia tribuerint. quam id merito fecerint, eorum iudicio ac
sermoni relinquo. Doctor sum primo quoque tempore renun-
ciatus, vnde mihi vt insignis honos, sic ex insigni fiducia acces-
sit. Annus erat 1627, Belli-loci Regemprehendit tertiana,
Villam-regiam tectica deportatur, vbi laxius commodiusque
ageret; ibi in tertianam duplicem tertiana degenerat. Ejus
ægrotationis historiam, si quid veri amas, repete à Guillelmo
Vero: Ex me autem, quando ita voluisti, coegisti, extorsisti,
hoc habe. In consultationibus, quæ de Regis valetudine, Re-
gina vtraque coram, Richelio Cardinali, & rerum Administris
habebantur, vin' scire quas partes gereret magnus ille tuus
& Medicus, & Politicus, doctrinæ ac peritiæ summus?
mutæ personæ, κατὰ τὴν ἀπόφασιν Græci appellant: imo ridicu-
li non ridiculi, cum deridiculo omnibus esset, voculam
nullam,

--- Trunco ille simillimus Herma,

mitteret, idque silentium omnes meram inscitiam interpreta-
rentur, vrbaniore prudentiam dicerent hominis, qui altum
fileret

fileret de iis quæ prorsus ignoraret, quæque ad ipsum nihil per-
 tinerent. Febri levatus rex, fanum Germani gestatoria sella de-
 fertur, vt liquido illo cælo, & familiari sibi solo recrearetur:
 ibi Ioannes Heroardus sui pertæsus, qui successore me, mortui
 suo quotidie funeri interesset, vltimæ ruinæ metuens, allegat
 ad me virum nobilem Ægidium *de Meze* regium Atriensem,
 per eum mihi omni asseveratione affirmat, velle se in gratiam
 meam reponi, & sincero mecum animo vivere; perirent, qui
 inter nos dissidium vellent; deponerem sane ac delerem me-
 moriam omnem simultatis, ac malorum abjecto sensu, melio-
 rum meminissim: neu se averfarer, qui me olim in filii dilexe-
 rit loco, & in Aula pro filio educarit; rediret pristinus amor, re-
 cens odium moreretur. Ego, qui placabilitatem primam
 virtutem puto, & odisse non possum quem injuriæ pœniteat,
 cui tamen non liceret injussu regis palam redire in gratiam,
 Regis, inquam, qui ejus pertinaciam naturæ, ac simulationem
 prorsus nosset, Regi aperio, quibus ille me precibus, & quo
 interprete ambiret. Et Rex, cave sis, inquit, insidiæ istæ sunt
 ac fallaciæ, ducit te & lactat, vt capiat. Instare tamen perur-
 gente illo, Ægidius: cujus ego non magis precibus, quam mea
 facilitate victus, regi supplex accido, vt eo volente jubente-
 que, mitibus tristia mutantur: nec fas esse, nec decere, vt qui-
 bus vnanimi obsequio Majestati ejus inserviendum sit, vel tan-
 tis per tantillumve dissideant. Et rex, permaxime scilicet in-
 terest; tu mihi vnus Medicus es, ille nullus est: atque vtinam
 non fuisset! Tu illius officium fungeris, ille defunctus est. Tam
 enixe tamen, tam suppliciter oravi, vt passus tandem sit. Ma-
 ne erat, cum in Regium, quem illic vocant, hortulum conve-
 nimus: aderant Illustrissimi Hallerius, tum Archisomatophy-
 lax, nunc Galliarum Polemarchus Hospitalius, & corporis cu-
 stodum præfectus Tremarum jam Dux, quos ego tibi, ea di-
 gnitate Viros Iudices fero. Ibi Ioannes Heroardus, seu fictis,
 seu veris, & gaudio manantibus lacrymis, mihi occurrit, in
 amplexus ruit, veniam orat obsecratque, quod temere de me
 crediderit, quod inimicorum potius calumniis, quam perspe-
 ctæ indoli meæ fidem habuerit, alieno à me animo fuerit: victu-

G

rum se mecum deinceps fraterno, paternove, ut antea, si mallem, animo. Ego nihil cunctatus, mutuo me in illum, vel filii, si mallet, sensu futurum confirmo. Et in me quidem nullas resedisse alienioris voluntatis reliquias, & optima fides artam gratiam servasse, autorem Deum, conscientiam meam testem habeo; ille me, si successorem suum exulcerato animo vidit, at eum dolorem intra se habuit, nam quoad vixit, amico meo vultu aspexit, & sermone accepit. Hic, tu Curte,

Quid miserum, Anea, laceras? jam parce sepulto.

occineres, si Virgilium legisses. Ego enimvero, vivo videntique, quamvis ita de me postmodum merito, tanquam parenti pepercit, plusque apud me valuit accepti, an redditus beneficii recordatio, quam iniqui, invidi, & malevolentia suffusi tot offensiones, cum contra rem meam iret infestus, & honori meo commodisque infensus adversaretur. Sed tu, famelice Canis, importunitate atque odio tuo, illius ossa eruis dissipaque, nec quiescere sepultum finis. Nam qui eum per quem integer tot annos stetit, ni sua ipsum inscitia pessumdaret, cruentas, lacerasque, perfidiae, ingratae mentis parricidii reum agis, tanto profecto post exhumas avunculum tuum, facisque profusus, ut qui fato functum aliquem ab amico jugulatum confossumque criminantur: & ille, Deum hominesque contestatur, illæsum à se illum periisse, falsam sibi invidiam fieri, crimen atrocissimum immerito affingi, ut cælo ostendi necesse sit, qui qualisque decesserit, & non modo inviolatum ab ipso esse, sed multa ejus ornamenta secum in tumulum, quibus vivum induisset, abstulisse. Quæ si omnia, sua & suorum esse comperita, nec repetit, nec recipit sua tamen esse demonstrat: purgavit ille se & à teterrimis calumniis vindicavit, cæterum mortuum refodit, qui nefarium crimen obtulit. Is tu es, Curte, quem non minus jam amentiae poenitet, quam me necessariae defensionis piguit: & sciunt, quibus plane, sicut tibi, ignotus, hoc est, pro albo ater, sive rufus non sum, maledicere me nunquam: at si quis atro dente me petiverit, non inferre falsa probra, sed pro falsis vera, ut me tandem noris, interdum regerere: bonorum amorem ac reverentiam, improborum odiû,

maxime si qui læserint, sermone ac vultu præferre. Et illam avunculi tui disjunctionem à me, quam ille pro capitali ac internecino dissidio gerebat, civili animo, nec veteris observantiæ oblitus pertuli, cum sanabiles esse humanos animos putarem oportere. Post reditum autem illum in gratiam, sanato vulnere ne cicatricem quidem in me, alienus, propinquus animadvertit: cum illum sui familiares & fidi, quibus ea res cordi esset, libere amiceque sic admonerēt. Annon tranquillior tibi mens est, & lætiore te fruere, quam in acerbo illo dissidio, quo utinam nunquam veterem Guillemei amicitiam diremisses? Ex illo tibi fonte molestiæ omnes, adversa omnia, quæ secunda fuerant, evenerunt: non illam famæ tuæ labem intulisses, cuius tu eum certissimum custodem habueras, nihil eorum accidisset, unde tibi tot metus, tot angores conflati sunt, ut jaceres existimationi tuæ superstes, ac mœrore contabesceres. Et ementiri pergis, Curte. De cane, dixisse illum, cum me in regiam venientem de fenestra prospiceret, ad istum, nescio quem Trimestrem Medicum. En perfidum rufum: en quem vnum in vita sum ingratum expertus. Qua stultitia commenti te, aut illum semper cæcum, aut te impudenter mendacem coarguis: nec enim aut in rufum, aut in corvum eram, ut nec in ingratum decoloratus: Sed tu aut illius mendacio de ingrato, tuum de rufo affinxisti, aut iste tibi fortasse illudit, vel sui me similem confinxit, cui vera sua probra esse propiora debuerant, quam ut ea tacentibus, falsa apponeret. Nec à me tamen audiet, quæ omnes loquuntur. Vix se Rex ab ægritudine illa receperat, cum profectionem sua ad Rupellam in castra expedit. Quadriennium mihi tum erat Archiatri muneris, quo me fungi Dominus non tam diplomate, quo id jusserat, quam constanti & assidua testificatione suæ de me fidei ac fiduciæ, voluerat: cum repulso, imo abjecto avunculo tuo, illius vices, vivo illo ac vidente, fungebam, non per ullam ejus contumeliam, sed ea sedulitate, attentione, formidine, ut ne alacritatem quidem ac jucunditatem Rex interea desideraret, qui in partibus Medici, & Regii vere Medici artem esse illam, à veteribus Magistris & historia, vel maximam didicissem non addere ad morbum tristi-

tiam suam: & mihi placebat in-primis exemplum Philippi, & Philippi patris, & magni Alexandri Medici, qui festivitate sua & humanitate, non regem modo periculossime ægrotantem, sed sua quodammodo remedia adjuvaret. Cujus commoditatis nec Regem Dominum, nec me adeo tædebat, cum & illi suavius esset in dies, & mihi ex illius hilari benevolentia beate. Ac vide, quam mihi non præfiderem, vide, quis in Heroardum effem, nec suffectus illo aut mericulosi vitio livoris, aut arrogantis præfidentia, quæ sola peccare mavult, & ibi, vbi peccare bis non licet, quam cum advocacione consilioque bene agere: &

Res est solliciti plena timoris amor.

amor, inquam Domini, & amor officii. Quam enixissimis precibus possum, à Rege contendo, vt, cum in ejus valetudine tot mortalium incolumitas consistat, ne velit vni eam mihi concreditam, cui omnes, si fieri possit, invigilare oporteat: in expeditionem ipsum ire longinquam, & maxime disjunctam à veræ Medicinæ opificibus Medicis Parisiensibus, ire in castra, & ea stata, vbi omnia minus pura, minusque ad salubritatem accommodata sint, & in dies fiant. Cum Primario Medico suo tot annos vti desierit, nec ei fidat satis (ego vero tanto minus, quanto Rex minus) & nemo vnus tantæ sit moli par, adjungere mihi aliquem velit, cujus ego consilio & iudicio fretus, ipsius valetudini & liberius serviam & certius: non frustra pronunciaffe Salomonem, væ illi qui solus sit, hoc est, soli sibi credat, quia, si corruerit, deerit à quo releveretur: duobus porro, conjunctionis suæ fructum ac emolumentum constare: si enim tibi, Domine, quod D. O. M. prohibeat, minus valere contigerit, ego consilio destitutus inter sacrum saxumque stem: si quid ipsi mihi morbi evenerit, tibi, Domine, notum & familiare auxilium, cujus quanta vis sit, quotidie experimur, desit. Inter tantarum rerum deliberationes, tantam tamen esse nullam posse. Cumque obfirmatus perstarem, enixius intentiusque instarem, Rex, nullum tibi alium præter temetipsum adjungam, tibi me vni committo, trado, alium nolo, & quivis frustra velit: cura, vt valeam, cura, vt ipse valeas. Nec absistunt ta-

men

men regina mater, & richelius, adversus ea niti: mater quidem extremis obtestationibus impulsâ Valterii Primi Medici sui, qui non id sibi, homo ex infimis eò provector, ardentius optaret, quam mihi misere, id quod deinde notescet, invideret. richelius autem, ut meam, majorem, quam volebat, quam tranquillo animo ferre poterat, apud Dominum gratiam minueret, ac paulatim extingueret: non odio mei, quippe nec aversus à me, nec alienus, sed præstantissimi Thoirasii & Prothyspaspistæ jam seu Armigeri primi, generosissimi Beringhami, quibus tam carum esse me sciebat, quam ipse infensus infestusque erat. Verum, nec maternis precibus, nec illius artibus evictus rex est, quin me penitus confideret. Quem, benignissimi Dei virtute ac clementia, cum mea vnus assidua opera acquievisset, è morbosissimis castris, è gravissimo Autumno coeloque, è tot denique mortibus salvum, sospitem, victorem, quoad homini fas, reduxi. Postremus restat actus Ioannis Heroardi, cui ad vltimum vsque spiritû, gratum amicumque fuisse me, non, ut tu mentitus es, ingratum, perfidum, & parricidam, rumpare licet, hæc coarguent. Netræi, vbi castrorum principia, seu castrensis regia erat, avunculus tuus in morbum cecidit, qui ei octavo non longius die in mortem excessit. Testes tibi sunt, quos de tuo capite iudices ejurare non debeas, is, quem honoris causa iterum appello, Bartholomæus Barralis, Regis Medicus, non vnus è multis, N. Barangus regi à pharmacis, & Heroardo à manu Lechus, tum quotquot supersunt interiores ejus amici: statim ut morbum sensit, me ad se accersendum curat; simul videt, orat obtestaturque, sibi ut adsim: quod ego plusquam pro virili parte facio; nec poteram aliter Christianus, nec debebam: neque corporis curandi modò, sed animi in-primis procurandi studium suscipio, adhibeo, qui salutari eum exhomologesi expiet, Sorbonicum Doctorem N. Denetium, regi à piis largitionibus, is ante annos aliquot Aureliani Episcopus decessit. Salutaribus præfidiis, quibus suos amat Domina mater Ecclesia, ut communiatur, adstudeo, quæ ille tanto pietatis ac religionis documento accepit, ut supremus ipsius vitæ actus, Deo miserante, idem & religio-

H

filissimus fuerit, cum plus vna ætate, cum dimidium seculum esset, ex quo ille nec confessus foret, nec ad tremenda mysteria accessisset. Ibi palam ac veluti publica detestatione suarum in me offensionum, orat, sibi vt ignoscam, antea acta deleam ex memoria, vt, delesse, ex tanta mea cura studioque intelligas: si Dei benignitas valetudinem annuerit, alia omnino atque antehac mecum caritate victurum: agnoscere se cum intimo dolore, injuriã mihi factũ iisse, sed eam in se recidisse, bona meminisse bonus, malorum oblivisceret. Hic eum, inquis, rex invisit egrum: quod factum nunquam est, & ne misit quidem, qui viseret, quod ille suavitate ingenii, morum comitate, ac penitioris Medicinæ scientia insignis, regius Medicus Chicotius, quod amicus tibi tuus Gorraeus confirmabit, quamquam à te perstrictus in rufis: & tot in comitatu superstites ornatissimi Viri commemorerint. Perinde ficta & subdititia sunt, quæ tu regi de mortuo avunculo tuo verba attribuis; permolesteste fero, longiore mihi vita ejus opus fuerat, amisi hominem necessarium. Quo scilicet annum jam quartum libentissime carebat, quem videbat invitus, quem tot annos despiciatus aspèrnatusque fuerat. Sed ausculta, tum scies, regis verissimas voces has: *En me grandi onere levatum, nam præterquam quod mihi semper inutilis, & jam destitutus erat, ita gravis & olidus obversabatur, vt me tetritate sua tandem enecarit.* Agnosce, Curte, tam diuturnam, tam incredibilem regis patientiam. Non jam exprobrabo naturam, quod inhumanum est, nec à te erutus, alius per me, quam qui fuit, extabit: sed habuit, rege sæpe exstomachante, hoc vitium putidæ animæ, vt,

Quod vulpis fuga, vipera cubile,

Quod jejunia Sabbatariorum,

Mæstorum quod anhelitus reorum,

Malles, quam quod olebat ille, olere.

Mortuo Heroardo, cui vivo rex me successorem dedisset, quis præter me alius jure succederet? tamen iis ipsis in castris, vt muneris mei, tam longi possessionem temporis, vsucapionem, præscriptionemve, tanquam vsurpatione turbaret Is cui mea & in regem meum, & in amicos fides non satis placeret,

qui neminem concoquere posset, nisi vni sibi fidum ac devotum Richelius, rem factam ratamque, in deliberationem tamen deducit: Carolum producit. rex abnuit, qui me Archiatrum jam pridem haberet, alium, si pro me connisus essem, passus nunquam foret. rejecto illo, Buvardum, cui me fautorem & adiutorem sciebat, proponit, ut mihi per me officeret: quam eandem amiceque pro Buvardo in memet ipse contenderim, nisi ex Guillelmo Vero didicisti, at te id edoceat, admonente conscientia, fide sua teste, Buvardus, quem honoris potius causa, quam vlla, post reconciliatam inter nos gratiam, animi læsura nomino. Supposito pene mihi Buvardo, Cardinalis, quæ hominis artes, suspicionis in regis animo semina jacere institit, ut quos improbissime oderat, Thoirasium & Beringhamum, infracto me debilitatoque, facilius perverteret: nec enim sperabat, aut posse me ad suos nutus fingere, aut, stantem ac vigentem me, dejicere illos & exturbare: hæsissem tamen & constitissem, volente ac propitio rege, nisi tam gravis mihi adversarius sumendus esset; ac in illo æstu ac jactatione vivendum, rebus, naturæ meæ, & quietis amori meo inimicissimis. Buvardum antea, per illum regis ad Villam regiam morbum, arcessendum curaveram, ut homo per se notus ac celeberrimus, Archiatri muneri admoveretur: quem, ut improbe debatteras, studiosissime non fovebam ut refrigerarem, non admovebam ut amoverem, non inferebam ut evellerem; neque mihi ætas deerat, cui statura esset, ac prope media: nec peritia, quam proceres, quam Aula omnis, & Archiater ipse tuus, sospitate sua comprobasset: nec autoritas, secunda existimatione à tot operæ meæ successibus indicis que constabilita: nec gratia, quam homo potentissimus metueret: nec favor univærsi comitatus, regis voluntati consentiens: nec jus, annorum quatuor, singulari, hoc est, unius mea functione sancitum. Nec arbitrabar ipse, nec putabat quisquam, opus esse mihi aut nova designatione, qui tot annos perfunctus essem, aut aliis tabulis, quam quæ me Primarium Medicum præsentem absente Heroardo, fecerant. Eo igitur jure Archiater, quo qui unquam optimo, dum alium, Buvardum, inquam, fieri sum passus.

H ij

sus, imo feci, rem meam illi contuli concessique. Quod ille, sive ultro, sive à Matre REGINA disertim iustus, non agnovit modo, sed & mihi debere se Archiatri munus, professus est, suæque esse fidei atque officii, & honorem, & ejus cōmoda mecum ex æquo partiri, vt dimidium certe caperem, quod totum ipsi tribuissem. Neque hic assimulabo (nec enim mea est simulatio) libenter cupideque me re mea decessisse. Cum beneficium suum tueri rex valde vellet, nec ei tamen plane integrum esset; à quo eblanditus esset, expressissetque richelius, Buvardum sibi vt apponi Archiatrum sineret; (& rex, homini, vt rebatur, necessario, quod cui bono & forti non dolebat? obnoxius, vix flagitanti quidquam negabat:)

Nec nos obniti tantum, neque tendere contra Sufficimus.

Interveniebat quoque hic nodus, hoc incommodum. rex nuperrime Illustrissimum jam à Sancto Simone Ducem tum Prothyspaspisten, Cubiculi Nobilem Primarium, inconsulto richelio, quod huic mortis erat instar, creaverat: de me tam liberum non habebat, quam vellet, invito illo actum peragere ac obtinere. Ita non semper illis quod libet, licet: & sibi quod vehementer volunt, non licere tamen interdum perferunt: verum tamen cum corde suo cogitat, mihi que per gratiosissimum illum à Sancto Simone Ducem nunciat, rem mihi ratam esse, perficerem modo de ea sibi, vt REGINA Mater, velle se, verbo testaretur. Causam sibi eam fore, vt instanti Richelio, quod nolens receperit, eo exolvatur. Ego, qui de meo candore alienum æstimarem, magnopere dehortante repugnanteque viro fortissimo & sagacissimo eodem Beringhamio, qui quod ego nec suspicabar, ipse oculis videbat, securim injicio petitioni meæ: Valterum, qui vterque vnus esse & Regis & REGINÆ Archiatros efflictim concupisceret, adeo, cui fallendi mei causa honesta nulla erat, iuvandi autem justæ omnes. Et is, qui exclusum se improba cupiditate cerneret, & alium quam me, quem rex ipsi longe anteferreret, quem vis præcuperet, ea est sibi consciæ tenuitatis invidia, ea invidiæ natura, omnes se in facies vertit, vt REGINAM Dominam suam à mea suffragatione

ne

fuit, & haud scio an vestri quoque collegii Baccellarius, quod ei, audiente magno Consilio Scholæ tum Decanus Carolus, tam diserte vereque objecit, ut probarit: at ipse, quoad vixit, manifestius quam ullus adversarius posset, convicit. Ioannes Riolanus Medicinam in Vrbe annis plus quadraginta insigniter & docuit & fecit. Ioannes Heroardus prælectiones Medicas vix totidem excepit, quam quotannos Riolanus celeberrime præcepit. Ioannis Riolani opus est, ingens illud in orbe Medico, in Literarum ditione, immortale, divini in humana fabrica opificii monumentum. Ioannis Heroardi dignum Hippiatro documentum Hippostologia est: atque utinam, exclamat Gallia, equarius tantum, non Regis In-medicus extitisset! Ioannes Riolanus, non Reginæ modo parenti singularem fidem, artem, ac scientiam: sed Europæ toti laudatissimam constantiam approbavit, dum fortunæ affeclis istis, esse principibus quoque infortunii comitem aliquem ad extremum usque ostendit: Dominæ valetudinem, quoad illa vivere per naturam, aut mœrorem potuit, fidelissime rexit: imò, consilio, sapientia, ductu suo, annos complures, tot etiam inter egrimonias, prorogavit: & ei tu mortis illius causam impingis, calumniator amentissime, cuius operâ, tot animi corporisque ægritudines vivendo superavit! Nimirum salutis autores parricidas appellas: sospitatem, mortem: remedium, venenum, ut Prusias, ut Nero, nominas: & cum inclytum Riolanum, tum cordatum quemvis admones Heroardi tui temeritatis impiæ, postremæ inscitæ, ignorationis, imperitiæ, at technicæque infra omnes idiotas infimæ, quæ Regem omnium bellorum, omnium hostium victorem, ab omnibus invictum, longiore, ô Gallicum imperium! ô publica Pax! vita dignum, magnis à Natura, felicis, ac diurnæ vitæ elementis, præsidiiisque firmatum, inde ab incunabulis ortusque primordiis, ut aquilam serpens, Afris effascinantibus nocentius ac maleficientius exceptum, in præfestinatam senectutem, in insanibilem, pro nativa evcrasia evexiaque, cachexiam, in præmaturam acerbamque mortem, præcipitem egit. Qui jure inscribi tumulo suo juberet, non quod Adrianus & Theodosius, Multitudo Medi-

K

38 *Caroli Guillemei, Med. Paris. Responsio ad Curtum:*
corum, Principem occidit: sed, vnius mala tractatio In. medici
Regem peremit. Non igitur cum præstantissimo Medico
Ioanne Riolano, quod sine atrocî hujus injuria fieri non potest,
componendus Heroardustuus, sed cum Afris illis fascinantibus,
quorum etiam laudatione, qualis avunculi tui Ludovico-
trophia fuerat, intereant probata, arescant arbores, emorian-
tur infantes. Cum ejusdem generis Triballis & Illyriis, qui vi-
su quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur.
Ah Regem optimum nimis, ah nimis diu, nimis male tuitus est
Heroardus! Cum feminis in Scythia, quæ vocantur Bythiæ;
cum Thibiorum genere in Ponto, quorum notas tradit Philar-
chus apud Plinium, in altero oculo geminam pupillam, in alte-
ro equi effigiem habere, quod Philiatrorum fortasse quispiam
de Hippiatro, & Archiatro scilicet Heroardo interpretabitur;
sicuti eosdem quoque non posse mergi, ne veste quidem degra-
vatos, vt ille mergi, supprimi, removeri tamdiu meritus, mer-
sit vitam Regis sui, nec mersus est. (ô pertinacem decrepiti
senis avaritiam, ambitionem obfirmatam, inhærescendi, im-
moriendi, necandique mortiferam obstinationem!) cum stirpe
denique Pharnacum in Æthiopia Heroardum, committant,
quorum odor sudorque tabem contactis corporibus adferat:
quod de avunculo tuo patientissima quamvis Regis facilitas
assidue conquerebatur. Atque hæc te velut ob signatis tabulis
probata, contestataque, sic à tacentibus & invitis elicuisse, sic
expressisse tute confitebere, vt qui fulmina non rite eliciebat,
fulmine ipse cum domo conflagavit.

*Contumeliam nec fortis potest, nec ingenuus
pati.*